

SCHOLION. III

§. 19. Solui ulterius problema (§. 16.) solet ope Astrolabii & Mensulae Praetorianae; utramque vero solutionem praetermittere cogor (§. 15.) haec annotans 1.) praxes per astrolabium instituendae ideo erroribus sunt subiectae (§. 7. 9.) quoniam gradus tam accurate per semicirculum minorem, quem Transportatorium dicunt, lineae superimponi nequeunt, & 2) Mensulae cui a Praetorio nomen imponunt, constructionem, usum, elogium apud Schuenterum l. c. p. 635. seqq. inuenies, qui simul fatetur antecessorem suum Praetorium inventionis occasionem a Vitruuio sumpsisse. Descriptionem mensulae nuper dedit Angelus Maria Ceneri, Bonon. 1728. Vid. Noua litter. Lips. 1729. p. 825. In altimetria dimetienda mensulam interim commodam non esse, quoniam in isto, quem regula postularet situ, manere nequit, quilibet obseruare facile potest.

COROLLARIUM I.

§. 20. Quoniam partes simul sumtae omnes, quod notissimum, toti sunt aequales, ideo collis, aut montis basin latissimam habentis altitudo, in quam peruenire licet, metiri poterit & quidem absque vilo instrumento geometrico, cognitis fig. 3. decempeda & filo, globum plumbeum tenente, ejus partibus. In vertice sc. montis 1) decempeda horizontalis, & filo altitudo DE mensuretur 2) cognitis eadem ratione horizontalibus EF, HG, IK, LM, nec non altitudinibus DE, FG, HI, KL, MC, priorum summa, basin, posteriorum contra, altitudinem quaesitam dabit.

COROLLARIUM II.

§. 21. Profunditas ab altitudine non differt nisi mensurandi loco, simili ergo modo (§. 16.) non solum turris e fenestra quadam aut porticu superiori, sed etiam fontis detegere mensurareque possumus profunditatem. E. g. sit fontis ADC profunditas mensuranda. Semicirculo Geodae-tico (§. 19.) verticaliter, horizonti tamen parallele, orificio fontis superimposito, mensurarete 1) diametrum siue latitudinem fontis fig. 4. AC, 2) si in A sit rectus, angulum vnum C, si non sit, etiam angulum A metimini, 3) in charta rectam = AC construite, quod si
B 4) huic

B

4) huic